
19 4.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ nonâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LXIII.

M. HENRICO-MICHAELE MISSA, Militarium Nosocomiorum ad Regis exercitum Medico, Doctore Medico, Præside.

An Parisinis præsertim interdùm rusticari?

I.



MEDICI scopus non modò labefactatam sanitatem reparare, verùm etiam præsentem tueri atque ad ultimam senectutis lineam vitam perducere. Meritò igitur quæ sanitati consulunt sollicitè considerat. Res inter quæ dicuntur non naturales aërem ambientem primum sibi vindicare locum nullus ibit inficias. (*a*) A cibo etenim ac potu aliquandiù abstinere possumus; ubi verò uterina penetralia relinquentes, vitales auras carpsimus, necessitas (*b*) & ratio vitæ cogunt ut aërem inspiremus ac expi-

(*a*) *Pechl.* de aëris & alim. defec. Elysius Campus jucund. quæsti. Journ. des Sçav. Mars, 1688. Thes. M. *Combalusier*, 16 Apr. 1750.
(*b*) *Boerha.* Elem. Chem. de aëre, pag. 117.

remus. Quanti sit momenti illud fluidum innumera demonstrant experimenta. (c) Illo sublato corruit vitæ systema; nî mox animali jam exanimi restituatur. Vitæ parens est, & morborum causa (d) nullum corpus etiam durissimum in quo non adsit. (e) Nobiscum audit, nobiscum sonat, nobiscum sentit, (f) tonum fibris largitur ac robur plus vel minùs pro diversâ indole, (g) illarum explicationi & incremento plurimùm inservit, digestioni favet, (h) sanguinis & aliorum humorum motum juvat, & accelerat; illi tribuendæ sunt tam animi quàm corporis mutationes insolitæ, tam nocivæ quàm salubres, hinc varia variarum gentium temperamenta, animi pathemata, ingenii dotes, (i) oris color ac lineamenta, mores; (k) uno verbo, tanta est illius potentia ut absque illo animalium etiam natantium generatio ac vita, vegetabilium accretio, (l) imò tota natura fatisceret. At undè tot mira præstet aër? Aër (tùm per cutis oscula, tùm in alimentorum consortio corpus permeans,) fluidum est corpus, pellucidum, grave, minimâ vi dividitur, compressibile, compressum proprio nisu resiliens. Hæ aëris proprietates essentiales. Sunt & aliæ quas aliundè mutuatur, nempè calor, frigus, siccitas, humiditas, quorum magna varietas pro cœli, soli, vallium, montium, maris, lacuum, paludum, fluminum, anni tempestatis, meteorŵn, vaporum ac exhalationum discrimine oritur. (m) Ast quibusdam qualitatibus donari debet sine quibus nedùm sanitati conferat, è contra numerosæ morborum cohorti ansam præbebit. (n) Sit igtur serenus, leni interdùm agitatus vento, ab exhalationibus nocivis defœcatus, nec siccior, nec humidior, neque calidior, neque frigidior; tunc enim suo liberè gaudebit elatere, undè pulmonum explicatio felicior ac sanguinis divisio major, deniquè mens (o) & corpus ad sua munia implenda promptiores & alacriores.

(c) Boyle, nova exp. Physi-mech. de vi aëris elast. p. 287. & seqq. Leçons Physi. exp de l'Ab. *Nollet*, tome 3. pag. 265. & suiv.
(d) *Hippocr.* de flat.
(e) *Hales*, stat. des veget. ch. VI.
(f) *Cicero*, de Nat. Deor. lib. 2. cap. 33.
(g) *Hipp.* de morbo sacro.
(h) Thes. M. celeb. *Cantwel*, 17 Mars 1741.
(i) *Hipp.* de aër è locis & aquis. *Horat.* Ep. 1. lib. 2. Vers 244.
(k) *Arbuth.* Essay des eff. de l'air, &c. p. 190 & suiv.
(l) *Halles*, Stat. des veget.
(m) *Boerh.* Inst. Med. § 752.
(n) Id aut. § 1032.
(o) *Platin.* lib. de tuend. vale. p. 145. *Plin.* Jun. lib. 2. Epist. VI. *Seneca* de tranq. anim. lib. 1. p. 56.

II.

AD vigesimum longitudinis gradum, latitudinis verò quadragesimum octavum cum quinquaginta minutis & decem secundis, sita Urbs magna Lutetia, dicta Parisiorum, insigne Regni Francorum caput, orbis universi compendium. In loco humili residet & quibusdam cingitur montibus qui ventorum sanitatis fortunas & fata secum vehentium, vehementiores ac noxios flatus prœpediunt. Illius situs omnium felicior, siquidem subsolano ventorum omnium saluberrimo nihil obstat. Aquilonis violentiores impetus Martis monte illiduntur, undè hinc & indè circumfusus aërem everrit & putredinis causas amandat. Mons San-Genovefæ eamdem urbem ab Austro tuetur. Favonius tùm Clodovæano monte, tùm colle Passiaco cohibetur. Siccum est illius solum, siquidem circùm circà fodiendo arenam vel saxum invenire est. Interluitur ab Oriente ad Occidentem Sequanâ magni nominis Fluvio qui duplici fluento civitatem amplectens, Academiam ex unâ parte, Urbem ex alterâ separat; illius aquæ rarò tumentes ac detumentes, limpidæ sunt, leves, gratæ stomacho, & tot præstant beneficia ut nullas salubriores esse diffitearis (a). At locus situ tam faustus ac amœnus, ut ad Nestoreas ætates illius incolæ vitam degere deberent causis permultis vitiatur. Aquæ infestantur immunditiis cujuscumque generis quæ in illo perpetim & maximâ copiâ dejiciuntur, Ædificia nimiâ celsitate superbientia ne fiat aëris renovatio vetant: undè pulmonibus explicandis jam non est idoneus. * Quædam viæ angustiores ferè omni tempore luto & sordibus conspurcantur, & tetrum odorem

(a) Vide Thes. An salubrior sequana, 3 Maii 1759. M. Franc. *Mery* Præside.

* In ludis & magnis concionibus refocillationem recentis auræ cœtu exeuntes subdio quærere cogimus. In insulâ Sancti Thomæ à solstitio hyemali duos menses silent venti, incolarum plerique languent ac pereunt nisi gratus ventus obortus eorum spiritus tempestivè reficiat. *Henr. Mund.* de aër. elat. læs, p. 77. In navibus maris tranquillitate diù immotis quot vectores Acherontem transfretant.

nares graviter ferientem undiquè ſpirant. Aër etiam coinquinatur halitibus & perſpiratione animalium omnigenerum, putridis effluviis latrinarum quæ tempore tantùm frigido & ſicco expurgari deberent; fimo equorum, animalium ſtercoribus, ædium ſordibus, ſtramento quo viæ conſperguntur, leguminibus & piſcibus jam putreſcentibus in mediâ urbe in foro expoſitis, & calore æſtatis tempore præſertim, fermentationem putridam ſubeuntibus; opificibus innumeris extrà Urbem relegandis, perniciofis miaſmatibus cadaverum in urbe ſepulrorum quæ Romanorum & aliarum Gentium more, exrra Urbem inhumari deberent.* His adde innumerorum focorum fumos quaſi totidem ſpiraculis aſcendentes. Hæc omnia nebulas adeò ſpiſſas efformant urbi ſuper extenſas, ut illam longè proſpiciendo eis obſeſſam videas,

Ingentem fumum mirabile dictu
evomit involvitque domos caligine cæcâ
proſpectum eripiens oculis. Æneid. lib. 8.

aërem humidum reddunt; & tetram Mephitim diffundunt, cujus perniciem infandam nupertimè multâ aperuit ενεργεια hujuſce Facultatis Doctor (*b*).

(*b*) Vide Theſ. Egreg. Clariſ. *le Begue de Preſle.* An conſpirantibus Medicis & Magiſtratibus ſanitas publica conſervari & morbi præcaveri poſſint? 29 Martii 1759.

III.

AERIS gravitas & elaterium ſanitati præcipuè opitulantur; corporis etenim noſtri ſuperficies undique ab athmoſphærâ gravatur, & illa preſſio in homines mediæ ſtaturæ adæquat 33600 libras. At pondus illud & elaterium ſanitati adeò neceſſaria, imminuuntur aëre humido undè tunc graves languent artus, pulmonalis & ſanctoriana perſpiratio decreſcit (*a*), vitiatur digeſtio. Indè humorum ſtagnatio, obſtructiones, cachexiæ, alvi fluxus, febres intermittentes, continuæ; apud infantes laborioſa dentitio, rachitis, ſcrophulæ, apud mulieres immodicus menſium fluxus, fluores albi, ac numeroſa morborum hiſtericorum cohors. Humidus aër unà & calidus, unà & frigidus eſt. Si frigidus anginæ; tuſſes, catarrhi, tabes pulmonales, nothæ pleuritides, peripneumoniæ, rheumatiſmi, apoplexiæ, ſcorbutus, producentur (*b*): ſi calidus, humores in putredinem vergentes crudeliores excitabunt tragædias, febres putridas malignas, variolas, cholera morbum, convulſiones, deliria, vermes. Porrò ex dictis in 2°. paragrapho haſce noxias qualitates habet Lutetiæ Pariſiorum aër & morbi ſuprà deſcripti dominium ſuum in illâ crudeliter exercent. Nullibi etenim tot morbos epidemicos graſſari invenies. Annus 1570, fuit pluvius, exceſſit toto decurſu in calido, humidoque cœlo ac ſuffocante. Undè medium in Æſtatem febrium putridarum ilias incidit, Autumno ineunte morbi qui inducias fecerant, redierunt, imò periculoſiores; ineunte Hyeme humorum congeries quæ radices altas fecerat atque latuerat, ſeſe prodiit. Hinc alvi fluores ac dyſenteriæ multis contigerunt. Anno ſequenti Hyems ab auſtrino pluvioque tempore fuit excepta nec non magnis inundationibus; hinc ineunte vere tuſſes anginæ ac pleuritides. Anno 1574, quùm Æſtas pluvia fuiſſet ac auſtrina & Autumnus eam excepiſſet eodem temperamento, infiniti numero homines prehenſi ſunt dentium doloribus, corizis, ophtalmiis, tuſſibus, pulmonum affectionibus, deſtillationibus in partes ſubjectas. Imò & nonnullis, apoplexiæ. Eodem anno & ſequenti; furente Hyeme, cujus prima pars fuerat auſtrina, morbillorum, variolarum, exanthematum, numeroſa irruit caterva. Eodem anno verno tempore

(*a*) *Boerh.* Inſt. Med. §. 748.

(*b*) *Hypp.* Alh. 2. Sect. 3.

* In urbe ne ſepelito. Lex XII. Tabul. Judæi & Chriſtiani in primis Eccleſiæ ſæculis extrà urbem mortuos inhumabant, exceptis tantùm Martyribus & Pontificibus.

perstante austrina constitutione iidem morbi inciderunt, insuper ventris tormina multis fuerunt, pleuritides multos jugularunt (*c*). Anno 1693, totam penè Galliam populati sunt morbi επιδημιοι quos nimbosa genuit pluviosa & frigida aëris constitutio cum diluvio horrendo (*d*). Anno 1748, in humidâ & calidâ aëris tempestate pueros præsertim gangrænosas faucium inflammationes invasisse meminit hujusce Facultatis antiquus Decanus (*e*). Anno proximè elapso in humidissimâ aëris tempetie constitutio catarrhalis epidemica invaluit & usque ad mediam æstatem rabiem suam exercuit in omnes ferè urbis cives; ita ut pauci admodùm fuerint quibus aut dolor capitis, aut coriza, aut colli & cervicis dolor, aut aliquid simile non contigerit. Quid ad tot mala vitanda? Perpetuò potiones haurite? Medicè vivere? Absit ô Cives!

(*c*) *Guliel. Ballon.* Epid. Ep& ehm. Lib. 1.

(*d*) Thes. Doctiss. M. *Cantwel*, an aër ab inundatione salubris. 7 Mart. 1741.

(*e*) Dissert. hist. sur l'espéce de mal de gorge, &c. par M. *Chomel*,

I V.

NON longè dissident ab ædibus vestris villæ quæ aëris salubritate ac situs amænitatæ donatæ ad illas fruendas vos allectant. Ad orientem habetis Pentinum, Vicennas, Baigneolum, Clippiacum, Placentiam, San-Maurum. Ad occidentem Altolium, Passiacum, San-Clodoaldum, Yssiacum, Belvisum, Maudunum, San-Germanum. Ad meridiem Montem-Rubrum, Villam-Julitam, Cauciacum-Regium, Victoriacum, Yvriacum, Salicem. Ad septentrionem, Villulas, San-Audoënum, San-Bricium, Bonagilum, Groëlium, Montem-Maurentiacum, Gypso-Campum, &c. Quæ quidem villæ procul urbium effluviis, viretis floribus ac herbis odoratis cultissimis exornatæ, fluviis ac rivis sinuosis flexibus errantibus circumcinctæ omnia ad salubritatem requisita possident. Has petens quis tacitâ non afficiatur voluptate! Quis v. g. San-Germanum subiens se novum hominem & in horto Eden translatum non existimet? Quem non movet ædificiorum superborum ac pulcherrimo prospectu adeò nec immerito jactati porticus intuitio ac speculatio? Quem non delectant camporum jucunda varietas, pratorum læta viriditas, segetum ac pampineatum vinearum hilaris aspectus, vitrearum lympharum lenis decursus, florum ac herbarum in hortis ac silvis circumambientibus nascentium beneolentes auræ? Quid lætius? Quid utilius? Certò nullus aër isto salubrior. Enimverò Henrici Magni conclavis auratura adeò sunt integræ ut recenter applicatæ videantur, quod aërem nullis miasmatibus infectum demonstrat; quodque Ludovico Magno multoties Illustrissimus Fagonius hujusce facultatis Doctor, Archiatrorum Comes, dictitabat ut eum in illo loco ad suam sedem stabiliendam invitaret. Hoc opusculum non absolverem, si situs salubritatem ac amænitatem cæterarum villarum exponere animus esset. Quantùm etenim ad sanitatem conferant evincitur, effectibus quos in morbis rebellioribus præstant quotidiè. Libros etenim antiquorum ac recentiorum de morbis chronicis evolve, nihil mutatione aëris ad illorum curationem frequentiùs ac feliciùs usurpatum reperies, (*a*) Secessus in aërem putiorem inquit celebertimus Author quandoque plus valet quàm quælibet alia remediorum farrago sine hâc immutatione injunctâ (*b*). Sola aëris mutatio contra quorumdam morborum vim, fit pharmacum eximiæ virtutis, maximæque potentiæ. Quot morbi prælongævi ac Medicinæ indociles aëre campestri sanantur, (*c*) verno tempore præsertim, tunc enim omnia protinùs reviviscere & ab orco revocari videntur. Prata pubescunt floribus ex terra pipientibus, arbores florente cinguntur coronâ, dulci avium cantu resonant arva, animaliaque

(*a*) Lege *Aristot.* sect. 1. proba. 47. *Plato*, in *Phædro.* *Hipp* de int. affect. sect. 11, 28, 29, lib. 10. de Diætâ cap. 5. *Galen.* ad Glauc. lib. 1. cap. 12. *Cels.* lib. 3. cap 21, 22, lib. 4. cap. 4. lib. 5, cap. 28. *Alex. Tralli.* lib. 1, cap. 13, lib. 3. cap. 6, lib. 9 cap. 3. *Oribaz.* lib. 4, cap. 24. *Aret.* chron. cur. lib. 1, cap. 3, 4, 5, lib. 2. cap. 57 *Paul. Æginet.* lib. 1 cap. 16. *Hier. Mercuri. Gontier.* exerc. *Hygias. Sydhen.* tract. de podag. p. 468. 473, processus integri in morbis ferè omnibus, p. 635. *Boerh.* aph. 28. *Floyer*, traité de l'asthme, pag. 127. *Raulin*, obser. de Médec. pag. 51. 62. & suiv.

(*b*) Tract. Méch. de reb. non nat. (*c*) Vide Thesim celeb. M. *Hazon*, an Diæta omnibus necessaria, magis verò Lutetiæ Parisiorum incolis? *Hoff.* lib. 2 de motu, &c. *Floyer*, Traité de l'asthme, p. 166.

libidine turgentia speciei renovationem meditantur; tunc plantarum effluvia aëri immixta poros penetrant & sic sanguinis vires adaugent, spiritus ressuscitant ac oblectant, succo digestivo maximam energiam imprimunt, undè multi visi sunt homines (*d*) quibus corpora segni languebant morbo & qui cymbam Charontis jam pede tangere existimabantur, in hortos odoratis spirantes herbis deducti, aëre solo plantarum spiritu rectore imbuto statim ad sanitatem revocati. Endemici morbi solâ aëris immutatione sanantur. Sic Londinenses incolæ asthmati, histericæ (*e*) & hypocondriacæ affectioni sicut & diversæ speciei febribus obnoxii (ob stupendam carbonis copiam quæ in eorum urbe comburitur & aquarum mineralium exhalationes quæ inibi magnâ adsunt quantitate, quæ sulphureis ac salinis aërem contaminant particulis, solida corrodunt, fluida coagulant & sic innumeræ malorum productioni viam sternunt); sic melancholiæ Itali præsertim afflante vento ab illis *del Chiroco* dicto, strumis, Hispani, Dani scorbuto addicti, statim atque insolentem regionem salutaverunt, sanitatem recuperant. Post prælium Hostedense vulnerati, Nosocomii Norlingii in Germaniâ, tumoribus œdematosis correpti fuerunt qui plerisque mortem intulêre, at in aliâ regione aëre salubriori gaudente quicumque translati sunt, convaluerunt. In obsidio Insularum magna fuit dispositio ad gangrænam in vulneribus, & permulti quibus terebrata fuit Calvaria, perierunt; sed immutato aëre quicumque superstites, brevi ad sanitatem redierunt. In Parisiorum Nosocomiis quot morbi insanabiles ob aërem vaporibus propter ægrotantium omne genus infestum. Quot scorbutici ex Nosocomio Gallicè dicto, *Hôtel-Dieu*, ad Hospitium Sancti Ludovici translati anno 1754, citiùs sanitatem recuperaverunt! Eodem tempore in domo Invalidorum Regiâ idem grassatus est morbus, sed cùm aëre salubriori gaudeat & ægrorum cubilia immunditie careant, non tam ferociter sævit, & mox ad sanitatem redierunt ægroti. Ex tabulis Necrologicis à Doctore Sympson editis patet Londini trium annorum spatio infantum partem dimidiam occumbere neci, quod aëri crassiori tribuendum. Quot asthmatici aut ventriculo imbecilles relictis Parisiis, ad San-Germanum valetudinis causâ secessi, sanitatem restitutam brevi tempore habuerunt! Quot homines morbis diversis laborantes ad aquas assumendas Medicorum jussu emissi, statim atque penates reliquerunt, incolumes ac sani evadunt! Morbi in castris sæpiùs sævientes, sunt dysenteriæ, febres malignæ, & licet varia animi pathemata, pravaque victûs ratio his producendis conducant, interim tamen in eorum genesi primum obtinet locum aëris contaminatio. * Qui morbi in Nosocomiis castrensibus lethales militibus, aëris novi respiratione statim curantur (*f*). Sydhenamius (*g*) in tussibus epidemicis anni 1675, cum pleuritide & peripneumonia supervenientibus, ægros hortabatur, si tussis nondùm febrim seu alia symptomata mala accersiverat, ut aurâ liberiore fruerentur. Scorbutus cui ob aërem maris nautæ maximè sunt obnoxii; statim atque terram revisunt, evanescit. Nostalgia in aërem nativum recessu duntaxat curatur. Lac quod in plurimis morbis præstat, parum prodest si in urbe sumatur.

(*d*) Hujusce naturæ observationem accepi à celeberrimo Nag. *Anto. Petit*, in suis prælectionibus.

(*e*) *Arbuthnot.* Tractatus Mech. pag. 134.

(*f*) Tractat. Mechan. p. 136.

(*g*) *Sydhenam*, p. 243.

V.

SI Lutetiarum incolis tanti sit aëris mutatio, quantò magis hominibus debilioris naturæ! Inter illos etenim qui in hâc urbe maximâ adsunt quantitate referuntur infantes, pueri, mulierculæ, senes, litterarum cupidi, melancholici,

* *Henricus Mund.* meminit numerosum exercitum qui præ imbecillitate ex febre castrensi contractâ vallum ægrè ducere poterant, è stativis pestilentibus in castra recentia traductum citò convaluisse, & omnes ferè vegetos & admilitaria munia intrà paucos dies promptos se animadvertisse.

& quicumque fibris donantur tenerioribus. Facilimmè etenim vel minimâ causâ læduntur. Infantibus nervosum genus majus est quàm in adultis; hinc illorum morbi ex genere convulsivo, & ex mille pereuntibus, vix unus est qui priùs non fuerit convulsus. (*a*) Mulierculæ temperamento debili ac humido donantur, quæ incommoda inerti segnitiâ & lectorum pulvinariumque molliorum usu ipsæmet adaugent. Inde apud illas fluxus muliebris, fluores albi ferè continui. Senibus ac pueris inest etiam humidum temperamentum. Hinc omnes morbi fibræ debilis & laxæ (*b*). Quoad litteratos illorum corpus effœtum ob spirituum jacturam immensam, irrequietâ etenim sciendi cupidine diù noctùque libros pervolutant. Hinc pallor genas occupans, languentes oculi, illis in ipso juventutis æstu ver nitidum, flos ille juventæ disperit, & artus carne suâ exuti horridâ macie deformantur (*c*). Melancholici solitudinem & latebras avidi requirentes hominumque se eripientes commercio perpetim improbâ animi contentione laborant, & deperditis spiritibus in ipsâ sanitate non valent. Istis præcipuè hominibus aëris convenit mutatio. Illis & enim urbium aër humidior, his crassior. E contrà aër campestris strigilis modo in superficiem corporis agens, superfluitates absumit, circulationem vegetiorem & corpus levius reddit, spiritusque refocillat debilitatos. Et vos ô cives qui sanitate solidâ gaudetis, vultis morbo expertes, dies fortunatos & longos agere, villas vestras saltem ad quoddam tempus adite; sic sanitas illibata, corporis firmitas, animi fortitudo, ingenii sagacitas vestræ erunt.

(*a*) *Herm. Boerha.* Præl. Acad. ab Alb. Hall. edit. T. VI. nº. 736. p. 90.

(*b*) *Herm. Boerh.* Aph de cogn. & cur. morb. § 26. & seqq.

(*c*) Vide Thes. venust an Litteratis vita cœlebs. illust. *Autore M. Ant. Petit.*

Ergò Parisinis præsertim interdùm rusticari.

Proponebat Parisiis CAROLUS-LUDOVICUS-FRANCISCUS ANDRY, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. Theseos Auctor. A. R. S. H. 1763.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.